

05

A

171





F. I.
DISPUTATIO PHYSICA PRIMA

DE

STILLICIDIO

SANGVINIS EX INTEREM-
TI HOMINIS CADAVERE,
PRÆSENTE OCCISORE,

Quam

Athenis Leucoreis

PRÆSES

M. GOTHOFREDUS

Doigt!

Delicio - Misnicus,

&

RESPONDENS

JOHANNES RUDOLPHUS CNUPPIUS,

Cosvigâ Anhaltinus,

*In publica ventilationis solens
exponent*

Ad D. 28. Septemb. Anni O. R. 1667.

Horis Matutinis, In Auditorio Minori.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS BORCKARDI.

Anno M. DC. LXVII.



DISPUTATIO PHYSICA PRIMA

DE

STILLICIDIO

SANGVINIS EX INTEREM-

TI HOMINIS CADAVERE

PRÆSENTATE OCCISORE



171 A 50

JOHANNES RUDOLPHUS CILIPPIUS

Collegii Anhaltinus

1711

WITTEBERG
TYP. JOHANNIS BORKARDI
ANNO MDCCLXXI



30VA 30VA!
De
STILLICIDIO SANGVINIS
EX INTEREMTI HOMINIS CADA-
VERE, PRÆSENTE OCCISORE.

ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΗ,
*Varias historias atq; Auctorum sententias
recensens.*

ARTICULUS I.
Producens historias.

§. I.
Per vasum omninò multis est, innocenter occisorum corpo-
ra, in conspectum producta, præsente interfectore, sanguinè
è vulnere, naribus aut alia corporis parte profunderè. Cu-
jus rei exemplum affert *Franc. Valeriola lib. 2. Obser. fol.*
202. illudq; se vidisse, plena attestatur fide. Nam cum *Jacobus*
ab Aqueria, *Patricius Arelatensis*, vulnere mortuus esset, & qui
vulnerarat à Magistratu comprehensus, in conspectum cadaveris
delatus fuisset, ut occisum recognosceret, & scelus fateretur, mox
ebulliens sanguis multò cum fervore & bullis è vulnere & nari-
bus prodire, cunctis adspectantibus, coepit.

§. II. Idem ingeniosus ille Poëta, *Haarsdörffer in Jämmerlichen*
Mordgeschichten c. CXXIX. 2. p. 444. de opilione cujusdam occisi
cadavere refert. Scilicet cum anno 1607. d. 25. April. Opilio qui-
dam in Hispania suum pasceret gregem, à nobilibus duobus inter-
fectus, & fruticeto injectus fuit. Judices ejus loci, opilione multum
diuq; perquisito, post quatrimum demum, sub fruticeto eum re-
perere. Quoniam verò cædes ista sine testibus facta erat, suspicio
in nobiles, in vicinia habitantes, cecidit. Qui etiam capti, & ad
occisi cadaver rapti sunt. Sed quid sit? Primus vix limis, ut ajunt,
oculis cadaver adspexerat, ecce! copiosus inde promanare san-
guis

gvis occipit. Altero vero accedente, ipsa interempti dextera
adstantibus primo vulnera, post & ipsum occisorem monstravit.
Quod factum, ut duo illi suspecti nobiles cædis hujus ductores
sponte sese confiterentur, dignūq; factis suis supplicium luerent.

§. III. Aliud exemplum citatus Auctor l. d. affert, cujus ipsa
Germanica verba adscribere nō verebimur: Zu Wertheim in Fran-
cken/ wurde ein todter Leichnam zu Nachts auff der Gassen gefun-
den: 36. Stunden hernach/ als der Leichnam etliche Stunden
unter den freyen Himmel gestanden (damit man nicht wähen
können/ die Bewegung macht die Wunden blutend) ist darüber
geführt worden Baltas und Nicklas N. N. der Körper aber hat
kein Zeichen von sich gegeben. Diese beyde waren davon gegan-
gen/ wie sich der Streit angehoben/ und also unschuldig. Auff
fürführen Jörg N. hat der Körper aus dem Mund blutige Schaum
gegeben/ (dieser ist darbey gewesen/ hat aber nicht Hand angeleget/
doch den Streit angefangen/ und das ärgste dazzu geredet) nach
dessen ab- und Vorführung Clausen Wächters (welcher nach sei-
nem Vorgeben Friede machen wollen/ und dem Endleibten die Hel-
leparte genommen) hat gedachter Körper Blut gegossen aus den
Wunden über dem Herze/ und selbes gebebet/ als ob der Endleibe-
re noch lebete. Dessen ungeachtet hat der Wächter den End ge-
leistet/ und (1) zween Finger auff des endleibeten Mund (2) auff
den Strich/ und (3) auff den Nabel geleget und dreymals dem Pfar-
rer/ der ihm seines Gewissens erinnert/ den End nachgesprochen/
den Todschlag aber nicht bekennen wollen. In gegenwart Loren-
zes N. mit welchen der Endleibete/ da er den Strich bekommen/ zu-
thun gehabt/ und getrungen/ hat der Körper abermahls blutigen
Schaum aus dem Munde gegeben/ und etwas Blut aus den Wun-
den. Des folgenden Tages hat sich der Wächter und Lorenz für
einem Thäter angegeben/ weil sie beyde ihn wegen geringen Zank
Ursachen umgebracht. Ist ihnen auch nach ihrer That gelohnet
worden.

§. IV. Simile huic refert *Crusius* part. 3. annal. Sjev. l. 9.
e. 16. pag. 536. Hoc 1510. anno, in Bacchanalibus, die Martis, in-
terfectus est Johannes Albuser (ap. Albussam in Mosbacensi
Parochia) in Saltzbergo, punctione non magna super genu: Nec
per-

percussor sciri potuit. Quatuor postea septimanis, iterum die Martis, fratres & propinqui illius, duos aucupes ex Kelenbergo, in Provinciale iudicium Campidonum adduxerunt, ac de cæde accusarunt. Illi, se innocentes affirmare; sententia lata est, ut iure jurando se purgarent: duobus digitis, inter quos alba lana, in vulnus impositis: annon aliqua mutatio vulneris secutura esset. Primo jurante nihil novi secutum; altero autem jurante, rubere cœpit vulnus & sanguis exire, per pedem defluens, populo cernente numeroso. Tunc iudices illum, ut cædis auctorem, capitis damnarunt: quo etiam supplicio affectus est publicè in viâ juxta provinciae tribunal ac factum.

§. IV. Nec dissimilia sunt ea, quæ Korn: in M.M. c. 24. adduxit exempla. quorum primum est *Thoma Herefordensis*, in Anglia Episcopi, quem *Gilbertus de Clara*, comes Gloverniæ maximis affecterat injuriis, eò quod Ecclesie jura ipse sueretur, ille invaderet. Obiit interim diem suum Episcopus absens. Necessari autem ejus ad ejus Ecclesiam deferenda ossa prorsus carne ablata curaverunt. Mox ubi obvius factus est comes, à puris nudatisq; omni carne ac sanguine ossibus plurimus manavit sanguis. Id conspicatus comes terrore concussus poenitentiaq; ductus Ecclesiastica jura vi à se invasa restituit. *Surius* 5. Octob. *Marcb. Tympius* Mensa Theophilos. c. XXIII. q. 31. p. 191.

§. V. Alterum ex *Cantipratano* lib. 1. mir. c. 16. §. 2. de *Henrico Abbate Blesensi*, narratur sequentibus verbis: *Henricus* Canonicus regularis in orbe Blesensi in monasterio S. Mariæ de Burgo medio, cum diu Parisiis studuisset, in Abbatem licet invitus ab omnibus est electus. Hic cum in religiosos suos, tum hortatu ad regulam servandam, ad honestatem vitæ, & ut tenerent in manibus disciplinam, tum rigore usus esset, ab illis per tres scelestissimos ribaldos conductos crudeliter occisus est. Roberto autem tunc socio ejus evadente, corpus occisi ad monasterium delatum est, & in Ecclesiâ collocatum, Et vide lector, quid actum sit & probatum. Statim enim, ubi sequenti die ad sepulchrum occisi, de locis ubi extra manebant, rei criminis Ecclesiam intraverunt: Ecce vox sanguinis fratris sui Abel de terrâ, quasi vindictam clamans, per vulnera, quæ à loco occisionis sicca remanserant, abundantissimo sanguinis impetu in eorum præsentia manaverunt.

§. VI. *Tertium* est puella cujusdam à Judæis crudelissimè occi-
sa, quod ex eodem Cantipratano l. 2. mirac. c. 29. §. 22. refertur.
Nimirum contigit anno C. 1271. in villa *Wforshheim* / ut quædam
malignissima vetula Judæis familiaris effecta, puellam eis anno-
rum septem orbatam parentibus venderet occidendam. Hanc
igitur in secreto, super plura parialia teaminum obstructo ore ejus,
in omnibus ferè juncturis membrorum incisionibus vulnerarunt
maximo conamine sanguinem exprimentes, & in ipsis linteami-
nibus diligentissimè receptantes. Hanc autem post tormenta de-
functam, Judæi in aquam fluidam prope oppidum projecerunt, &
super eam lapidum congeriem posuerunt. Tertia verò vel quar-
ta die, per manum erectam ad cælum à Piscatoribus est inventa, &
in oppidum deportata, horrentibus & clamantibus populis, à Ju-
dæis impiis tantum flagitium esse perpetratum. Erat autem in vi-
cinitate *Marchio de Baden*, qui mox audito tanto piaculo, pervenit
ad corpus, statimq; ipsum corpus erectum residens tetendit manus
ad Principem, quasi vindictam sanguinis, vel forte misericordiam
imploraret. Post horam verò dimidiam se deposuit defuncti mo-
re supinum. Adductis igitur ad hoc spectaculum impiis Judæis,
statim eruperunt omnia vulnera corporis & in testimonium hor-
rendæ necis copiosum sanguinem effuderunt, Judæi capti pœ-
nam dederunt.

VII. Pertinet huc etiam casus ille, quem *Gregorius Horstius*
Tr. de consery. cadav. p. 1. sequentibus exponit: Anno *ἔξ λόγῃ*
1604. die 26. Decembris, vir quidam nobilis juvenis ætatis suæ 25.
anno, vespertino tempore, circa nonam horam noctis, è fenestrâ
domus superiori in oppido *Wlindmargel* / inferioris Austriæ, bom-
bardâ petitur, & globo tormentario per sinistram pectoris immis-
so, perq; dextram hypochondriorum exeunte, protinus in loco oc-
ciditur. Reviso cadavere vulnereq; considerato, quantitas eadem
introitus atq; exitus, non sine copia sanguinis profluentis, reperta
est. Subsequente die 27. Decembr: tempore matutino, corpus oc-
cisi juvenis vestibus aliisq; ornatur, atq; ita per biduum quietum
retinetur. Porro 30. Decemb. in libitinam reponitur, & in loco
sacro custoditur, idq; sine motu ulteriori, ubi tamen nihilomi-
nus ex vulnere superiori usq; ad 8. Jam, anni 1605, recens quoti-
diè

diē manavit sanguis, à quo tempore hæmorrhagia desuit. Rursus
verò 13. Feb. circa meridianum tempus sanguinis fluxus per vulnus
inferius horâ una atque altera deprehensus fuit, ac si jam vix
cædes facta esset.

§. II. Nec præterire possumus narrationem *Andree Hil-*
debrandi in *Epist. ad Greg. Horst.* sect. 9. p. 432. ita scribentis:
Accidit cum Stolpis adhuc essem apud illustriss. viduam, ut in
vicino pago Schmallsin, præfecti ejus loci expatiatum cunctis ca-
nis aquaticus, forte fortuna infantem terra reconditum, & jam
semiputridum erueret, quem cum præfectus in pagum reportari
curasset, puellas, viduas, reliquasq; omnes extra matrimonium
videntes convocari jussit, & singulis infantem ulnis gestare, ac
sequentia verba eloqui: *Do fern ich an diesen Kinde schuldig
bin/ so thue Gott ein Zeichen an mir.* Inde cum ad agnatam
proximam reæ ordo pervenit, paucillum sanguinis è naribus &
quidem lentè effluxit: Ubi verò in manus propriæ matris tradi-
tus est (quæ virginali adhuc incedebat habitu, & ut postmodum
per torturam confessa est, Daniisci à Primario Mercatore im-
prægnata) copiosissimum ac rubicundissimum stillare coepit san-
guinem, multis instar miraculi id spectantibus, cum ante octi-
dum jam terræ commissus, nec ut ipsamet falsa, vitalis unquam
fuerat, quod tamen vix verum [ferum fatis] putaverim. Mater
cum nihil aliud ab ea per carnificem extorqueri potuit, quàm
quod foetum mortuum noctu clam terræ mandaverit, ne vel ita
famæ jacturam pateretur, non capitis supplicio affecta, sed tan-
tum proscripta fuit.

§. IX. Deniq; huc referri etiam solet exemplum, quod ante
biennium in oppidulo *Rosswick* / duobus milliaribus à nostra
Witteberga distante, accidisse dicitur. Cum enim illic venefica
quædam mulier adolescentem, arti sartoriæ addictum, præstigiis
suis interfecisset, & postea, jussu mariti, ut suspicionem à se amo-
veret, ad cadaver in feretro jam positum, accedens ternâ vice
hæc verba repetiisset: *Hab ich Schuld an deinem Tode / so gib ein
Zeichen von dir;* tunc statim sanguis ex ore & naribus emanavit
atq; præsentem homicidii ream indicavit. Cæterum longè plu-
ra alia superior pariter atq; recentior ætas refert exempla; quæ
à omnia

si omnia recensere vellem, tempus prius & charta, quam scribendi materia me deficerent. Quamobrem exposito nunc articulo primo, esto

ARTICULUS II.

Proferens rationes.

§. I. Hic non una eademq; Eruditorum mens est: sed tot ferè occurrunt sententiæ, quot capita scriptorum. *Galeotus Martius Naruiensis* lib. de promisc. doct. c. 22. ad decimam aut duodecimam horam à tempore perpetratæ cædis cruentationem hanc restringit causamq; ejus in *occisoris & occisi spiritibus* quærit. Cum enim, inquit, occisor furore ductus, hominem aggreditur, cuncti spiritus, qui sui sunt, opus juvantes, in occidendum convolant, sicut de more eorum est, itidemq; hominis trucidandi in occisorem tendunt, quo isa corporis sui profilit, ita, ut in occisorem volent ibiq; vivant. Cum ille occisus est, sanguis jam frigefactus fluere desinit, sed comparente occisore spiritus utriusq; diverso motu agitantur. Quilibet suum corpus repetens motum facit, unde & hominis occisi spiritus redeunt, sedemq; suam repetentes & occisoris recedentes, ut ad corpus redeant, faciunt motum ejus rei, quam habitant [habitant autem sanguinem] & hoc pacto sanguis jam frigidior, & ad fluxum ineptus, ab occisoris & occisi spiritibus vi multiplicata agitatus, rursus fluitat: estq; illis tantus proprii corporis affectus, ut plerumq; latitantem hominẽ, sed proximè existentem, intra tempus, quod adsignavimus [tot enim horis vivunt] recognoverint ac repetiverint. &c.

§. II. Accedunt huic *Galeoti* sententiæ *sympathia* defensores, eodem ferè modo rem explicantes. Fovet autem hanc opinionem *Vincentius* tom. 1. spec. 1. 4. cap. 13. Cui pollicem etiam premit *G. Scribonius* lib. 1. phys. §. 82. Nec alienam gerit mentem *Petrus Apponensis* in Comment. in probl. Arist. 7. part. Probl. 6. col. 2. Hic enim testibus *Petr. Greg. Tholosano* & *Prosp. Farinacio*, ad spiritus, ex interfectoris oculis in cadaver egredientes, confugit, eosq; vi suâ sanguinẽ illũ commovere & elicere statuit. Deinde addidit; Interfectorem nonnullos inimicos spiritus in corpus occisi transfudisse, qui postmodum, accedente rursus occisore, propter quandam cum eo sympathiam evolent, sanguinem excitent, & in sedem suam propriam remigrent.

§. III.

§.III. Alia v. contra est sententia, quæ stillicidii hujus causam ad *Antipathiam* refert, & proponitur à *Levino Lemnio* lib. 2. de occult. Nat. mir. cap. VII. p. 304. his verbis: Quod si quis statuat propinquos ac sanguine conjunctos Sympathia quadam, hoc est, mutuo naturæ consensu, sanguinem elicere: facinorosum ac patratæ sceleris reum Antipathia ac dissensione tacitaq; discordia id ipsum efficere, non futuro sum in eâ re contentiosus. Cui assentitur etiam *Delrio* lib. 1. Disquis. Mag. cap. 3. q. 4. pag. 61. seq. ubi tandem post aliorum adductas sententias in hæc verba definit: Neq; adhuc video, quid solidi adferatur illa Antipathia ex vehementi odio occisi in occisorem; quod qualitatem latentem ac arcanam impresserit corpori cum cadavere permanentem. Nec diversum sentit *Atbanasius Kirckberg* art. Mag. part. 9. quæst. post. c. 3. ita hanc prodigiosam, ut vocat, naturæ actionem explicans: Vehemens & violentus spiritus, quo occisor alium sibi inimicum impetit, maligna vi plenus per oculos, os, nares in inimici ingressus intimas fibras, tū potissimum sanguinem, ac in sanguine latentem qualitatem vectore spiritu invadit, qui incitatus, l. vi rarefactiva sanguinis cadaveris, vel alio quodam occulto naturæ diffidio, loco cedens foras erumpit, eò quod spiritus occisoris sanguini occisi dicta ratione communicatus, non commodè in alieno subjecto existens, proprium videl. occisoris sanguinem naturali inclinatione appetat, hic v. illum, ceu sibi proprium ac naturalè attrahat, non secus ac supra de antidotorum magnetismo docuimus, repellente cadavere spiritum tanquam sibi repugnantem atq; inimicū. Dum igitur occisoris sanguis, quod suū est appetit, occisi a. contrarius spiritus, spiritum inimicum & hostilem repellit, fit, ut hæc spirituum cōtrariorum lucta, sanguis, quorum vehiculum est, effervescens violenter foras erumpat. Atq; hac ratione ego hanc actionem sanè prodigiosam perfici, salvo aliorum judicio, existimo. *Kircherum* sequitur *Gasp. Schottus* Mag. Nat. part. 4. lib. 5. syntag. 2. c. 4. p. 495. seq. Ego, inquiens, cum hac ultima opinione (scil. quæ Antipathia hunc effectum adscribit) sentio. Quibus etiam subscribere videtur *Job. Sophronius Kozak* lib. 5. septim. Horolog. Microcosm. existimans in cadavere occisi superesse spiritus for-

tes, fervantes imperum se vindicandi diutissime, qui accedente eo, cuius malitia laceffiti fuerint, effervescent & prosiliunt, profusoq; sanguine ostendunt vindictæ indicia; id v. non fieri, si trucidantur meticulosi; qui vi externæ non resistere, sed eam fugere malunt. Huc respexit etiam Poëta & Philosophus Epicureus *Lucretius*, lib. IV. ita canens:

— — — — — *Libido*

*Incitat irritans loca turgida semine multo,
Idq; petit corpus, mens unde est saucia amore.
Namq; homines plerumq; cadunt in vulnus, & illam
Emicat in partem sanguis, unde icimur ictu.
Et si cominus est, hostem ruber occupat humor.*

Quo in loco Poëta elegantem vivi amantis & mortui hostis comparisonem instituit, ac si diceret: Quemadmodum salax mentis libido semen in amicam effundere affectat, cuius amore irritata ac saucia fuit mens: Sic caro quoq; vulnerata rubro sanguine hostem adspargere præsentem desiderat. *Frâncisc. Valeriola* lib. 2. observat. fol. 202. citatis versibus hæc subjicit: Hoc carmine *Lucretii* non aliter vult sanguinem hominis oculorum radio affecti & vulnerati in vulneratem prolabi, quam hominis gladio cæsi sanguis prolabitur in cadentem: quod & experientia sæpè docet, & id ipsum quoq; me vidisse testari plenâ fide possum. (Historiam, quâ his subjungit, vide supra in Art. 1. §. 1.) Cujus miraculi hæc adferri ratio potest, quod cum nondum calor omnis in recens occiso corpore extinctus sit, nec agitatio omnis, visq; interior nobis occulta quieverit: actionem quidem tacita illa vis clamat, moxq; ad vindictam bilis accenditur: ab eâ sanguis inflammatur, & ad vulnus confestim prorumpit patefacto ad exitum per vulnus meæru: eodem concurrunt & spiritus, qui quoniam leves sunt, ad occidentem hominem, si coram steterit, volantes in eum migrant: servaturq; nativo calore aliquandiu, nempe ad horas plus minus sex aut septem: quo quidem in tempore si qui interemit, in conspectum interemti veniat, & interemptum intente inspiciat, vulnus cruorem versus interimentem ejicit: quod, quemadmodum diximus, nondum in cadavere recens jugulato ad horas aliquot

vis o-

vis omnis interior calorq; extinctus sit : Quã quidem latente & interiore vi efficitur, ut sanguis suos spiritus repetat, atq; etiã spiritus ipsi suum attrahant sanguinem, unde ipsius manatio & effluxus cõsequitur. Hactenus *Valeriola*, qui his ipsis verbis obscuriuscule iunit, se facere cū iis, qui *Antipathia* propugnant. Quamquam sequentibus magis inclinare videatur in eorum sententiam, qui Dei iudicio arcano hæmorrhagiam istam cadaverum fieri assorunt. Cæterum *Antipathiam* quoq; hic defendit *Job. Magirus* *Physiol. Peripat. lib. 3. cap. 8. pag. 224.* *T. Brighus* in animadvers. super *Scribon. Phys. lib. 1. §. 82. p. 44.* *Jacobus Lorhardus* *Theatr. Philos. Diagr. Phys. pag. 48. alijs.*

§. IV. Nec desunt, qui ad alias confugiunt causas, quos etiam hęc adducere juvat. *Campanella* *Lib. IV. de sensu rerum & Magia*, statuit, nonnullas *animæ reliquias* in cadavere aliquandiu remanere, velut idem contingit in caudis anguillarum, in pedibus araneorum abscissis. Cui sententiæ etiam favere videtur *Petrus de Albano*, & *Pet. Greg. Tholos.* *lib. 36. syntag. Juris universi c. 20. n. 8.* ubi inter alia hæc habet: *Refervescit, in-quiens, occisi sanguis, & quodammodo concutitur mente occisus, adversario, qui necem intulit, præsentem.*

§. V. *Cælius Rhodiginus* *lect. Antiquar. lib. 2. c. 21. pag. 61.* intra plus minus septem horas sanguinem in auctorem cædis proflire putat, & aliquas *sensilis animæ*, cupiditatis sc. & vindictæ, vires etiam post mortem in sanguine subsistere existimat. Nempe, inquit, qui vulneratur ac perimitur, in affilientem dolenter convertitur, cogitatio ultionem expetit avide, ad id repente inardescit bilis, à quã mox succenditur sanguis, raptimq; tota vi sese ad vulnus proripit, tum fomenti causa, tum vindictæ. Convolant spiritus insimul, qui insita levitate mox autorem circumfiliunt. Cujus calore perseverant, persistuntq; aliquandiu. Quo tempore si vulnus inspiciat is cominus, promittitur in eundem sanguis, tum calore nec dum extincto, tum quod nec agitatio quievit interior, tum quia vel prius in illum sese concitarat. Porro quoniam spiritus suos repetit sanguis suumq; proliciunt sanguinem *Spiritus.* Idem expressè etiam affirmat *Langius* *lib. 1. Epist. Medic.*

Medic. 40. Vide & *Jonston*. *Taymatog*. Nat. cl. 10. c. 3. a. 3: pag. 449. qui non adeò alienam ab hac opinione mentem gerere videtur.

§. VI. *Bodinus* lib. 2. *dæmon*. c. 3. pag. 264. ita hac de re differit: Hominum *interfeſtorum animas* plerumq; instare vindicandis occisoribus, veteres affirmarunt. Sed hoc tamen homicidis omnibus non usu venire constat. Existimant nonnulli, si homo occisus sine vindictæ studio decesserit, id non accidere. Veruntamen notavit antiquitas, & *Plato* scripsit lib. 1. de leg. animas eorum, qui occubuerunt, in occisores insistere: Quod *Marsilius Ficinus* lib. 16. de animarum immortalitate, *Lucretius* & *Virgilius* *Æneid*. 4. verum esse dicunt, & infinitis judiciis probarunt Judices, homicida super cadaver (etsi non attingat) transeunte statim è vulnere manare sanguinem. *Bodino* succenturitur *Kornm*. l. c. part. 9. c. 23. ubi ita: Ejus emissionis sanguinis quidam nullam rationem admittunt, sed malè, cum enim anima lateat in sanguine *Gen*. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me, de terra* &c. illaq; invita discedat à corpore, ob desiderium, quod tenet erga illud, circumerrat illud, & se corpori insinuare tentat, & *Augustinus* dicit, animabus jam beatis in cælo Deum videntibus inesse quendam naturalem appetitum administrandi corpus, quo retardantur, ne totaliter ferantur in Deum. Crederem igitur animam, si adsit autor necis, corpus iterum intrare & movere, vi ad vitam, cum deficient & languida sint membra, saltem ad vindictam occisoris &c. Eidem sententiæ patrocinator quoq; *Ponaciolus* de format. fœet. p. 237. seq. & *Paracelsus* teste *Libavio* l. c. pag. 173.

§. VII. *Cornelius Gemma* lib. 1. *Cosmocrit*. c. 6. ait, quod *interfeſtoris imago*, extincto cadavere, ad tertium usq; diem velut in concreto sanguine latuerit, cū eodem semel præsentate residuus ille spiritus propter ideas inhærentes in percussorem obvium concitetur; nec prius stillicidium sanguinis è cadavere supprimatur, quam occisor longè sit remotus.

§. VIII. *Majolus* causam *ajua τοδειξω* hujus in aëris attractione & spirituum infectione quærit. Sic enim in dieb. canic. *Tom*. t. pag. 18. citante *Matth. Tympio* *Mensa Theolo-Phil* . c. 239. 31

pag

pag. 191. ait: Licet cadaver sit spiritu omni destitutum, neq; sentiat quidquam, horrore tamen tunc concuritur transeunte occifore, quia spiritus ibi in vulnere sunt quadantenus infecti à spiritibus interficientis, quo transeunte usq; ad ipsum vulnus aer infecto trahitur, quo intercepto sanguis ebullit, propter infectionis conformitatem tam in vulnere manentem, quam ab interceptore manantem.

§. IX. *Watsonius* in synops. totius philos. p. 359. sequentia habet: Satisfecerunt huic quaestioni, quos *Camerarius* citat Autores: certum quod nec plerumq; neq; necessariò fiat; quando verò evenit, constitutio corporis, tum occisi, tum occiforis talem mutationem causatur, metus aliiq; affectus homicidia, artus ejus alterant, cumq; nudato, languido & mortuo corpori imponuntur manus trementis, poterunt sanguinem refrigerare, commovere & educere.

§. X. *Neovaldus* in Exeg. purgat. Sag. p. 24. censet, hoc sanguinis profluvium, *superstitiosum & diabolicum* quid sapere, cujus suspicionem ipsi auget, quod in locis quibodam membrum rescent, arefaciant, & tumo indurent, quod in praesentia occiforis sanguinem adhuc effundere sanctè affirmant. Quem ritum inde procul transtulere, quod antiquitus digitus mortuo abscindebatur: factitatum augendo luctui, ut ait. Erat nempe qui ante ex-
Phocæ mortuo digitum praesideret, ad quem servatum justa fierent, postmodum, quoties luctum vellet restaurare. Festus, membrum abscindi mortuo dicebatur, cum digitus ei decidebatur, ad quem servatum justa fierent reliquo corpore combusto, vid. *Paracles* in fragm. lib. Philos. de sanguine ultra mortem & *Korm. l. c.*

§. XI. *Libavius* Tr. de cruent. cadav. causam stillicidii hujus refert partim ad *naturalem sanguinis aptitudinem*, qua de ita §. 118. dicimus natura inesse cadaveri vim quandã seu potentiam, quã valeat praesente seu amico seu inimico circa spiritus & sanguinem moveri, tunc potissimum cum antecessit in homine vivo motus talis actu, nisi impediatur. Et §. 130. dicimus, qui motus ante mortem vehementissimo in affectu fuit in corpore, ejus vim & potentiam tam cito extinctam non esse, sed adhuc in actum proclivem, data occasione, moveri similiter. Partim ad ipsius occiforis

Imaginationem, qui ita conscio sibi scelere terreatur, ut spiritus ab eo egrediantur ad interfectum, & ex eo vapores quosdam unà educant. De hac ita §.187. Est aliquid in percussore, quod motivum & provocativum sit sanguinis, illud est aut quā est præsens: aut quā est percussor: aut quā magica commotione excitatur. Sanguis: aut quā spiritus quosdam tum ex perspirabili corpore more solito emittit, tum quā animus conscius agitatus longe uberiori vi halitus ad corpus motam expellit. Ratio quā præsens est, aut quā est percussor, per se nihil habet virium, sed tantum ex accidente. Nam ita signarentur omnes, etiam qui lege interemerint; & sive homo, sive aliud animal esset interemptum. Magiam, ut ante in genere, ita hīc in specie rejicimus. Etsi enim diabolus possit procurare affluxum, in gratiam magorum; vanus tamen est prætexus, de quo ante. Accipimus ergo rationē, quæ ex spiritibus seu halitibus interempti petitur, eamq; dicimus esse causam moti sanguinis in percusso, nisi quid impediat. Procedunt autem isti promptius in aëre libero, puro, calido, nō alterato aromatis, & aliis graveolentib; & si accesserit fortis animi motus, & imaginatio percussoris &c. Atq; hanc *Libavius* sententiam *Ambes* etiam, ut *Avicenna* aliq; apud *Weinrichum* cap. XVII. de Ort. Monstr. p.167. ex parte amplectuntur, dum hæmorrhagiam illam *phantasia* attribuunt; Supponunt a. imaginationem admodum esse efficacem, ut non modò in id corpus, in quo est anima, multum juris habeat, sed externam quoq; materiā movere, immutare, alterare, absq; actione quapiam per mediū, possit, sine organo corporeo. Id quod confirmant ex eo (1) quia nonnulli solo tactu ægrotorum incurabiles morbos sine remedio aliquo sustulerint. (2) quia sæpè serpentes unum in locum per imaginationem cogantur. (3) quia interfecto etiam ex cadavere occisi sanguinem eliciat. Admiserit, inquit *Weinrichius*, præterea latro in viā homicidium, cadaver auctori intuentum sit propositum, sanguis è cadavere effluit. Unde hoc nisi quod Spiritus interfectoris fixè intuentis & considerantis à se inflictum vulnus cadaver ejusq; reliquos Spiritus commovent, sanguinemq; eliciunt.

§.XII. *Valeriola*, etsi loco supra citato, causas hujus rei afferat naturales, postea tamen subjungit, quod magis *Dei judicio*

ORGANO

arcano, maleficum hominem tali signo notatq; peculiari ac propria designare & prodere volenti, id fieri censendum sit. Quod ipsum etiam *Matth. Tympius* l. d. sentit: Occulta, inquit, Dei potestate res à legibus naturæ tam aliena fit, partim ut, quanti sanguinis vinculum sit faciendum, intelligamus; partim ut homicidii auctores hoc modo prodantur. Immò ipse *Philippus Melancthon* lib. i. phys. fol. 44. pro confirmanda providentia divina hoc ipsum adducit his verbis: Admiranda signa interfectorum corporibus divinitus addita sunt, quæ monstrant auctores cædis: nam corpora mortua stillant cruorem, cum ad ea accedit auctor cædis.

§. XIII. *Greg. Horstius* Tr. de cruent. cadav. pag. 44. causam hujus fluxus tribuit partim *sanguinis commotioni*. Non mirum, inquit, quod corpus aliquod sanguineum violenter cum vindictâ mortuum & occisum ejusmodi commotionem (sc. quæ paulò ante mortem præcescit) humorum adhuc patiatur, & per dies quosdam sanguinem per vulnus emittat: ea enim natura est sanguinis in venis existentis, ut reliquias quasdam caloris & spirituum in sese retineat, per quas commovetur ad tempus eo motu, qui paulo ante mortem anima adhuc præsentem eidem fuit impressus. Partim *sanguinis per septimanas aliquot conservati*o. Nullus enim, ait pag. 47. nisi physicarum rerum ignarus negabit hoc, quod venæ, quæ sunt vasa sanguinis, peculiarè vim habeant in sanguine conservando, quâ ob causam sanguis quamdiu est in venis, tamdiu etiam naturam atq; consistentiam suam retinet, & fluxilis manet: ubi venas exit præter naturam, tam in vivo, quam in mortuo corpore, statim in grumos concrevit. Partim *venarum putrefactioni*. Ex his (pergit) sc. quæ de corruptione partium humani corporis attulerat p. 48. facillimè concludimus, venas præ aliis partibus diutissime à putredine conservari, quapropter in sanguine continendo suum officium ad tempus præstare possunt: ubi v. tandem & his putrefactio dominatur, tunc sanguinem nō amplius continent, sed eundem emittunt, qui ob sui gravitatem primos quosq; meatus atq; cavitates occupat, donec tandem ita fluidus exeat. Atq; hoc ipsum contingere dicit sive absente sive præsentem homicidâ. Hinc meritò ipsi
jun.

jungendus B. Sperlingius, utpotè qui in eandem descendit sententiam. Ita n. hic Instit. Phys. lib. 2. c. 3. q. 1. p. 299. *Experientia, inquit, de sanguine occisi ad præsentiam homicidæ fallax est. Nec n. semper sanguine stillat cadaver: nec quoties stillat, toties homicidæ adstat. In venis cadaveris aliquot dies & septimanas reservatur nonnunquam sanguis. Hinc vel levi facta commotione ad corporis ruit habitum, ac per nares aliasq; vias patentes elabatur. Sive adsit, sive absit homicidæ. Cui succedit etiam Amplissimus atq; Excellentissimus Dn. D. Ziegler/Phys. P. P. celeberrimus, & Promotor noster etatem sanctè de veneratione in Disp. sua de Sympathia atq; Antipathia Anno 63. habita §. LVIII. Experientia, inquiens, de sanguine stillante occisi ad præsentiam occisoris, omni caret fundamento. Libavius in Tr. de cruentat. sangv. haud dissimulans ex profecto hanc sententiã, quod nimis rimum fundamentum tacite a cuius Antipathia partim in vi & potentia esset &c. Et paulo post: Omniscio quidè Deo nil occulit latitare potest. Noti omnino oculis Dei sunt tales interfectores, nec dubitandum erit, quod vindex & ultor justissimus Deus interdum animæ vindictam, provocanti extraordinarie satisfaciat, & ad pœnam corporalem in hoc mundo sistat tales alijs in horrorem. Sed ab hoc non infallibile desumendum statim est documentum, Gratum alias & acceptum Diabolo esset illudere & fallere iudices, ut innocentes trucidarètur. Presentibus etiam Amicis stillant facili quadam commotione facta cadavera. Sanguis ergò commotus & excitatus, juxta Libavium, tantam vim non habet, ut aperiat inimicum, quia separata anima nullum amplius principium movens, vel facultas animæ adest, quæ sentiat adstantem. Nec aliter jam olim docuit B. Jac. Martinus in Disp. de Cognitione sui anno 1610. Witt. habitã prob. 8. his verbis: Nos huic rei nihil certi subessè, immò nihil omninò tribuendum statuimus. Contingere quidem non diffitemur, ut l. ex naribus, l. ex vulnere occisi sanguis profluat: Verum id non tantum accidere putamus præsentem reo & in violèter occisi cadavere: sed quibuscùq; præsentibus, nec non in cujusvis morbo aliquo extincti corpore: & quidem tum, quando interioris cadaveris partes & humores putrescere incipiunt. Atq; his etiam nos accedimus, statuentes, experientiam istam de sanguine stillante occisi præcisè ad præsentiam occisoris omni carere fundamento, de quo in subsequentibus plura.*

SOLI DEO GLORIA.

05 A 171

ULB Halle

3

004 206 754




S6

V17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Blue
Cyan	Cyan
Green	Green
Yellow	Yellow
Red	Red
Magenta	Magenta
White	White
3/Color	3/Color
Black	Black

PHYSICA PRIMA

8

CIDIO

X INTEREM-

CADAVERE,

DECCISORE,

evcoreis

S E S

EDUS

Doigt!

Misnicus,

DENS

PHUS CNUPIUS,

haltinus,

tionis solem

ni O. R. 1667.

uditorio Minori.

RGÆ,

ORCKARDI.

LXVII.